



BIBLIOTEKA


Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVII 3.080



18.138





174

34

QVÆSTIO

DE

INVENIENDA, CO- gnoscenda, & discernenda vera Christi in terris Ecclesia.

A

~~174~~

Clarissimo ac Admodum Rñdo Dño,

D. MARTINO CAMPIO VADOVIO,
S. Th. Doct. ac Professore, nec non in Alma Vni-
uersitate Grac. Procancellario. & ad S. Floria-
num PRÆPOSITO. &c.

M. PAVLO MIROWSKI, &

JOANNI NOSKOWIC, S. Th. LL.

*Dum in eadem Vniuersitate insignia Doctoratus in
S. Theologia capefferent, ad decidendum
Proposita.*

Anno 1636. Mense Ianuario, Die Hora 15.

In Lectorio DD. Theologorum.

18.138





VNA est columba mea, perfecta mea vna
est matri suæ, electa genitrici suæ. Viderunt
eam filiaë, & beatissimam prædicauerunt.

Cant. 6.

XVII 3080-111

Perillustri ac Admodm. Rñdo Dño.

D. ERASMO KRETKOWSKI,
CANONICO, PRÆPOSITO, & OFFI-
CIALI GENERALI CRACOVIENSI:
S. R. M. Secretario. &c. Domino & Pa-
trono Observandissimo.



LOCUSTARVM diuersæ formæ,
principatum suum non seruanti-
um, ob idq; domicilio pulsarum,
ex reserato abyssi puteo, ingen-
tem exercitum, in fatenti fumo,
cum potestate lædendi homines, ascendisse, testa-
tur *Virginus* Prophetæ, *Perillustri ac Admo-
Reuer: Dne, Quid locustas diuersarum facie-
rum, ac in perniciens hominum ascendisse, nisi
tot, tamq; deformia hæresum monstra, tot schi-
smata, ab Ecclesia Orthodoxa, aliena dixerim?
homines sunt corrupti mente, reprobi circa fi-
dem, principatum non seruantes, Ecclesiam
Christi, quæ est columna & firmamentum veri-*
A 2 *tatis,*

tatis, non agnoscentes eius iudicio & sententiæ in-
sistere contemnuunt, noua semper, eaque inusita-
ta, caelestibusque contraria placitis, moliuntur
dogmatum portenta. Fit enim ut cum quis no-
ctu incesserit, despicatui habens iubar radian-
tis lucernæ, facile offendat, ac in præcipitium
cadat; perinde est; ut qui spreta luce veritatis
Ecclesiæ, quæ sola propter assistentem Spiritus S.
lucem, quid credendum, quid detestandum, sine
errore proponit, fiat omnibus charismatis, gra-
tia & veritate exterris, errare, ac per devia
vagari cogatur. Et quemadmodum nihil est
melius, nihil salutaris, quam errantibus navi-
bus Cynosuram, viatori diuersorium monstra-
ri, ita nunc quoque ijs qui naufragium fidei pa-
tiuntur, nihil magis utile, magisque necessarium
esse potest, quam veram Christi sponsam, Eccle-
siam, tutissimum salutis portum indicare, notas
ipsius & insignia exponere, ut quicumque se ad
eam recipere non recusauerit, in portu salutis
consistere valeat. Quoniam verò anteaetis
temporibus, in decursu studij mei Theologici, in
hoc augustissimo Sarmatici Septentrionis, Sapi-
entiae

entia Athenaeo, examini publico, alia themata
exposuerim, nunc ipsum brauium certaminis &
laborum accepturus, in ipsa Ecclesia, cuius in-
niti iudicio, unumquemq; est necesse, consisten-
dum duxi. Dum verò intra me identidem cogi-
tarem, cuius id nomini consecrarem, ad te po-
tissimum, virum de Ecclesia Dei præclarè meri-
tum, flecti mea carbasa sensi, ut qui commo-
do & utilitati studes Ecclesiae, meis etiam de Ec-
clesiae notis theorematibus, apud te locum consi-
stendi non deneges; suadet id animi tui innatus
candor, pollicetur humanitas, impellit, in omnes
susceptum patrocinium. Accipe igitur vir
amplissime, qualecunq; est, quod deuotè offer-
tur, animo illo tuo generoso, atq; in utilitatem
Ecclesiae Dei, ornamentum Reipub: & solati-
um omnium, diu optimè Vale.

Perillstr: ac Adm. Rdx, Dom. Tux

Paratissimus

Ioannes Noskovie
Parochus Wonscensis,

Q V Æ S T I O.

V. propter visibilitatem, aspectabilitatem, claritatem, & amplitudinem, Christi in terris Ecclesiæ veræ, illius inueniendæ, cognoscendæ & discernendæ causa, signa, simbola, notæ sint sumendæ & petendæ, non ex intrinsicis & essentialibus, sed ex qualitatibus extrinsecis, cum Ecclesia tamen recurrentibus & reciprocis: nec ne?

CO N C L U S I O I.

Visibilis, aspectabilis, clarissima, & amplissima Ecclesia vera, colligitur expresse, diuinis ex literis.

COROLLARIA.

1. Patrum vetustissimorum testimonijs firmatum est, Scripturam clariùs loqui de Ecclesia, quàm de Christo, non secus ac testamentum de hærede quàm de testatore.

2. Non committitur ullus circulus, cum Scriptura de Ecclesia; & hæc contra de Scriptura testatur.

3. Nihil detrahit aspectabilitati, & claritati Ecclesie, quòd tanquam articulus fidei creditur, ideoque Sophisma esse illud, Quod creditur non est visibile.

4. In Ecclesia Christi in terris vera, sicut & in Christo rediuvio, aliud creditur, aliud videtur, sensu enim comprehenditur Symbolum, fidei internum mysterium.

5. Nullatenus sequitur ex dictis corollarjjs figmentum hæreticorum, suos errores defendentium, aliam esse Ecclesiam visibilem, aliam invisibilem, etenim præter visibilem nulla est alia.

CONCLUSIO II.

Quibus notis inuenitur & iudicatur vera Ecclesia Christi in terris, iisdē & cognoscitur, & discernitur ab ijs congregationibus quæ tales non sunt.

COROLLARIA.

1. *Notis seu tesseriis expressis in Nicæno Constantinopolitano & Romano Concilio, una, sancta, Catholica & Apostolica, & cæteris omnibus, hisce contentis, inuenitur & discernitur Ecclesia vera à falsa.*

2. *Numerus notarum arbitrio proprio non est immutandus, ideo doctrinaliter faciunt, qui reliquas omnes, à quibusuis authoribus Catholicis numeratas, ad quatuor nominatas à Concilio reducunt.*

3. *Ut testimonium de teste, scriptura de scriptore, instrumentum de notario, non iudicat, ita scriptura, seu verbum Dei scriptum non de Ecclesia, sed contra Ecclesiam de verbo Dei fert iudicium.*

4. *Argu.*

4. *Argumenta hæreticorum probantium, verbum Dei scriptum, & usum Sacramentorum legitimum, esse tesseras internas, demonstrantes veram Ecclesiam, petitionis principij committunt fallaciam.*

5. *Impudens mendacium, per petitionem principij committitur, ubi vel idem per idem demonstratur; vel pro confesso sumitur, quod est in controuersia, quod hæretici in constituendis notis Ecclesiæ faciunt.*

CONCLUSIO III.

Sumuntur & petuntur symbola veræ Ecclesiæ, non ex essentialibus illius.

COROLLARIA.

1. *Proximè ad demonstrationem hæc collectio accedere nobis videtur. Notas omnes vel à substantia, vel illius accidentibus desumendas esse, quia in re unaquaque, præter essentiam ipsius & accidentia ipsius nihil inest, ideoq; rectè sequitur, non sumuntur ab essentia. Ergo ab accidentibus.*

2. Quoniam essentia rerum, per se obscura
& abdita sunt, ideo notarum rationem habere
non possunt.

3. Non aliam ob causam essentia vestiuntur
accidentibus, quam ut ad cognitionem eius du-
cant.

4. Imperita consequentia est illa, Veritas fi-
dei, & usus Sacramentorum, ab Ecclesia insepa-
rabilis est. Ergo est nota Ecclesie, multa enim
sunt inseparabilia, quae notarum rationem non
habent.

5. Purum verbum Dei, & legitimus usus
Sacramentorum, constituunt essentiam Ecclesie
Christi in terris, ideoque notarum rationem habe-
re non possunt, alias enim idem sui nota dici &
constitui posset.

CONCLUSIO IV.

Ecclesie verae, notae petuntur ac defu-
muntur, propter visibilitatem Ecclesie,
ex qualitatibus non qualibuscunque, sed
ex iis, quae cum Ecclesia recurrunt &
reciprocantur.

COROL-

COROLLARIA.

1. Nota seu signum, non alio fine instituitur nisi ut ducat in cognitionem rei alterius, sitq; ad tollendam dubitationem sufficiens argumentum, habens quatuor proprietates, evidens; recurrens, id est, ubi illud est, ibi rem necessario esse oportet, & contra, ubi non sit, nec rem quidem esse; non commune sed proprium; non in penetralibus abditum, sed in aperto positum.

2. Intrinseca rei, omnibus hisce proprietatibus carentia, ut pote nec evidenti, non ἀξίωμα, nec Ecclesia ipsa clariora, proindeq; notæ & signi rationem habere non possunt.

3. Ad questionem qua queritur, quænam sit vera Ecclesia, Catholicè & verissimè respondetur, per notas recurrentes cum Ecclesia Dei, illa nimirum, quæ est una, sancta, Catholica & Apostolica.

4. Recurrunt hæ omnes notæ, Ecclesia una, Ergo vera; Apostolica, Ergo vera; Sancta & Catholica, Ergo vera. Similiter Apostolica, Ergo Catholica, Ergo clara per totum orbem diffusa, & amplissima.

5. Hæ-


5. *Hereticū est docere & sentire, Ecclesiæ
veræ notas, non ab exterioribus, sed ab ijs, qui-
bus Ecclesiæ substantia continetur, sumendas
esse & petendas.*




Sub auspicijs Admod. Rndi ac Magnifici Dñi
D. ADAMI OPATOVII, S. Th. Doct: & Pro-
fessoris, Ecclesię S. Annæ & Facult: Theol:
Decani Vniuersit: Cracovien. Generalis
R E C T O R I S.



6/11/50





6147
/ 33

